

castris Zalin¹⁾ cum omnibus appenditiis, scilicet mancipiis utriusque sexus, areis, aedificiis, agris, pratis, pascuis, silvis, lacis ceterisque aquarum decursibus, terris cultis et incultis, exitibus et redditibus, viis et inviis, quaesitis et inquirendis in proprium dedimus atque tradidimus et in aeternum [posside]ndum concessimus ea videlicet ratione, ut praedicti loci episcopus liberam inde potestatem habeat tenendi, commutandi, vel quicquid inde ad usum ecclesiae voluerit faciendi. Et ut haec nostra regalis traditio stabilis et inconculsa omni permaneat tempore, hanc cartam inde iussimus conscribi et propria manu corroborantes nostri sigilli impressione insigniri.

Signum regis (L. M.) Ruodolfi.

(L. S.)

Actum Quidelingeburg in pascha domini anno dominicae [incarnationis] millesimo septuagesimo nono, indictione prima, VIII. Kal. Aprilis regnante Rvdolfo rege, Adelberone cancellario existente vice Sigefridi archicancellarii Magontini archiepiscopi anno autem tertio ordinationis et regni domni Rvdolfi regis in dei nomine feliciter. Amen.

Nach dem etwas schadhafft gewordenen Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit ziemlich wohl erhaltenem Siegel. Die an den durchlöcherten Stellen versuchten Ergänzungen sind durch eckige Klammern angedeutet.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 21.

1) Wahrscheinlich Schreibfehler für *Zadili*, jetzt *Zadel*.

No. 35. 1086.

P. Clemens III. fordert den König Wladislaw von Böhmen dringend auf die schon früher beantragte Beförderung eines ihm wohlbekannten und getreuen Mannes baldigst eintreten zu lassen.

Clemens episcopus servus servorum dei Wratislao glorioso principi Boemorum ac dilectissimo filio salutem et apostolicam benedictionem. Tuam dilectissime fili prudentiam credimus nosse, quantis dolis, quantis fraudibus adversarius noster diabolus humanum genus exagitet etc. — — Praeterea non credimus a tua excidisse memoria, quod dilectionem tuam et per literas et per nuncium tuum plurimum postulavimus. Obnixe rogamus super quodam dilectissimo filio nostro tibi equidem fidelissimo et satis noto celsitudinem tuam interpellantes, ut in illa re, quam postulabamus, nostrae voluntati assensum praeberes. Sed nihil nobis de hac ipsa re postea, unde plurimum miramur, remandasti. Et ipse quidem iam magnifice sicut dignus est foret locatus, nisi hic fuisset exspectatione detentus, quo deus novit fideliozem tibi non poteris invenire. Hoc autem tuae sit notum dignitati, quod cum domino imperatore karissimo filio nostro de re ista nondum quicquam egimus, quoniam tuae certitudinem voluntatis hactenus exspectavimus. De hoc vero certissimus existas, quodsi hoc unum nostri causa, nostro rogatu feceris, quicquid a nobis deinceps me et te dignum petieris, impetrabis. Quicquid igitur de hac re sedet tuo animo, utrum videlicet nostris tam dignis, quod non diffidimus, assentiaris petitionibus, nos quantocius effice certos. Nolumus enim tantum virum, tam utilem ecclesiastico regimini tali amodo suspendio detineri. Novo quidem sigillo utpote evidentiori